



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-384768-p0002-1

DFG

1648 12
12

SEPULTURA VETERUM.

sive

DE ANTIQVIS RITIBUS SE-
PULCHRALIBUS,

Romanorum, Græcorum,
Judæorum & Christianorum,
DISPUTATIO SECUNDA.

D. O. M. A.
Quam

Præside

M. JOH. ANDR. QVENSTEDT.
QVEDL. FACULT. PHILOSOPH.
ADJUNCTO,

Publicæ disquisitioni submittit
JOHANNES Rienscherrff/

Spandoâ - March.

Ad diem Aprilis


In Auditorio Philosophorum,
horis matutinis.


¶ [+] ¶

WITTE BERGÆ,

Ex Officinâ typographicâ JOHANNIS HAKEN.

ANNO M. DC. XLIX.





CAPUT III.

Sepulturâ vel omni vel honestâ qui
prohibiti?

Quamvis jus sepulturæ commune fuerit, neminiq; temerè denegatum, aliquos tamen ad notam sce-leris & infamiā vel alia aliquā de causā aut prorsus omni, aut certe honoratâ sepulturâ fuisse olim pri-vatos accepimus. Romani eos, qui injussu Imperatoris ex statione & præsidio vitæ decepsissent juxta Pythagoram, qui inquam sibiipsis ferro aut laqueo mortem intulissent, primis illius Reipublicæ temporibus sepulturâ omnino prohibuerunt, vel ut à voluntariâ morte absterrentur alij, vel quod indignum rati, ut inveniantur manus, quæ sepeliant eum, quem occidere suæ. De suspendij sui-i-psius reis fidem nobis facit Servius ad illud Virgilij lib. XII. Eneid. Et nodum informis lethi trabe necit ab altâ. Sa-nè sciendum est, inquit, quod cautum fuerit in Pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abjiceretur: un-dè benè ait, informis lethi, quasi mortis infamissimæ. Tar-quinius Priscus (ad quem hujus consuetudinis originem referunt, quanquam Servius Tarquinio Superbo adscribat) ἀντοφεράς non solum insepultos abjici, sed & cor-pora eorum crucibus, spectandacivibus simul & feris volucri-busq; devoranda affigi jussit, referente Plinio, N. H. lib.

Apud Ro-manos.

XXXVI.cap.15. Mitigatam autem postea fuisse hanc
poenam ait Kirchman. in Appendix ad libros de Funeribus
Roman. cap. IX. & restrictam ad eos , qui facinoris alicu-
jus sibi consciī ē medio se sustulissent , puta , ut supplicium
de se sumendum anteverterent. Illos verò , qui mortis ac-
cessitæ justam causam habuissent , (cujus nomine censeba-
tur vitæ tedium , doloris impatientia , luctus &c. Stoici
servitutis & morbi fugam , imò & spem gloriæ pro justâ
causâ mortis voluntariæ admittebant. Grotius de jure Belli
& Pacis lib. II. cap. XIX. n. 5.) gloriose & honestè obiisse
existimatos fuisse , atque sepulturæ honore affectos. Quo-
modo Cato Uticensis , vir sua tempestate maximus , cum ,
Julij Cæsaris victoriam ferre non posset , vitæque ipsum
tæderet , ē vitâ se sponte eduxit. Eoque fine Demosthe-
nes , princeps omnium Græciæ Oratorum juxta Quintilia-
nū , semper venenū secum habebat , teste Plutarchο in vita.
Hinc Seneca Epitom. Contr. Lib. VIII. contr. 4. Afferre sibi coa-
ctus est manus , assiduis malis. Summam in felicitatum sua-
rum in hoc removit , quod existimabat licere misero mori.
Causam accelerandæ mortis exhibendam fuisse Senatui ,
non obscurè indicat Quintilianus , vetus Magister , Declam.
IV. Qui causas voluntariæ mortis in Senatu non reddiderit ,
insepultus abjiciatur. Et apud Massilienses ē vita aliquem
semet extrahere potuisse refert Valerius Maximus libr. 11.
cap. 6. si causam senatui probasset. Porrò Romanis vetus
veterimumq; (verbis utor Victoris in Constantino) suppli-
cium patibulorum , & quod , si Livio Historiæ patri sua fides
lib. 1. statim sub primis Regibus usitatum. Imò quamdiu
Ethnicī fuere Imperatores supplicium crucis à Romanis u-
surpatū est. Sustulit v. illud primus ex humanis vel certè Ro-
manis reb⁹ Constantinus , teste jā dicto Sexto Aurelio Victore
in eodem . & quidem sub imperij vitæque extrema , undē
& So-

& Sozomenus, Ecclesiasticae Historiae eruditus scriptor sed Novatianam hæresi infectus, qui historiam suam à Constantino Magno, ubi finit Eusebij, orditur, inter omnes ejus leges, hanc postremam recenset, lib. i. cap. 8. inquiens; Denig, Romanis prius usitatam crucis pœnam ex usu tribunum & judiciorum lege sustulit, nempe ob reverentiam crucis Dominicæ, ne ea pœnis damnatorum vilesceret. Postea ejus loco fuit Furca, non vetus quidem illa, sed nova, quam & patibulum dicimus. Cæterum ipsos suspendiosos quos vocabant & cruciarios, i. e. qui in patibulo suspensi & cruci affixi, legibus à sepulturâ arcebant. Et ne quis deponebat, miles & custodia à magistratu addebat; Petronius in Satyr. Miles cruces asservabat, ne quis corpora ad sepulturam detrahheret. undē πολυμαχέσαται Casaubonus Exercit. XVI. ad Ann. Baronij num. 90. Qui ex legibus Romanorū crucifigebantur, in cruce relinquebantur, ut probat nobile apud Petronium exemplum & similia alia: nisi causa aliqua interveniret, propter quam deponeretur permissu Magistratus, qui ipsius jussu fuerat affixus. Hæc ille. Hoc ergò affectos suppicio, quod crudelissimum tèrrimumque vocat Cicero V. in Verrem, quodque ICTI nomine summi supplicij quandoque designant, teste Justo Lipsio de Cruce Lib. II. c. 1., tabo diffluere, & à Sole & pluvia corrupti sinebant, utidem ait Lipsius loc. cit. cap. 15. quā corruptionem aut putrefactionem intellexit Theodorus Cyrenæus Philosophus. Cum enim ei Rex Lysimachus crucem minaretur, Ista, inquit, horribilia minitare purpuratis tuis, θεοθώρω γδὲν μέλει, πότερον ὁπό το δῆν γῆς σημεῖαι. Theodoro nihil interest, humine, an in sublimi putrefaciat. ut est apud Ciceron. 1. Tuscul. quest. Neque aliam sepulturam Seneca Epitom. Controv. lib. VIII. contr. 4.

Omnibus natura sepulturam dedit, naufragos idem fluctus, qui expulit, sepelit. Suffixorū corpora crucibus insepulturā suā deflunt, eos, qui vivi uruntur, pœna funerat. Tria potissimum genera eorum, quibus ipsæ Leges sepulturam denegarunt, se reperire ait Kirchmannus loc. cit. cap. VII. Hostes patriæ, Suspendiosos & Autōχειρας. Hostium patriæ nomine intelligit perduellionis & læsæ majestatis reos, pacis publicæ perturbatores, proscriptos, & quicquid est hujus farinæ, quorum pœnæ ad exemplum aliorum pertinebant. Hosq; olim sepulturā fuisse prohibitos aliquot exemplis probat. Eadem *ata Phias* pœna manebat ipsos etiā imperatores, si in tyrannos degenerassent, malè de republicâ meritos. Exemplo esse potest Vitellius Imp., quem post varia ludibria tandem apud Gemonias (scalas) minutissimis i-
ctibus excarnificatum atq; confectum & inde unco tractum in Tiberim tradit Suetonius cap. XVII. Et Heliogabalus, qui in cloacam missus & in Tiberim præcipitatus est, testibus Sext. Aurelio Victore & Lampridio. Quod odio communio-
nnium contigit, inquit Lampridius, siquidem nec sepul-
chra mereantur, qui amorem Senatus, Populi ac militum non
merentur. Porrò Imper. Vespasianus pœnæ Conjurato-
rum Germaniæ addendum censuit, ut insepulti projice-
rentur, ut autore est Suetonius in Vespasiano cap. 2. inf. Eadē
severitate usi sunt Romani in Parricidas. Hinc Sigismundus Finckelthaus *ICTus celeberr. in Conclus. Jurid. de jure Se-
pulturae: th. XIII.* inquit; Solon quidem olim nullam ob
hoc crimē (parricidiij) legē tulit, quia nō speravit quod tam
impiū & nefariū scelus in cor hominis cadere possit; Idē sē-
sit & Romulus, qui illud impossibile judicavit. Alij legum-
latores dubitarunt, quam pœnam invenirent, qua rabies
hæc plus quam beluina expiaretur; eam v. tandem Roma-
ni, tanquam reliquis sapientiores constituerunt, ut vide-
licet

licet parricidæ omnium elementorum usura , quæ alias
cuivis communia sunt, adeoq; & ipsa sepultura eriperetur.
Hæc ille. Secundum Divi Hadriani constitutionem be-
stiiis objiciebatur Parricida l. pœna IX.D. ad L. Pompejam de
Parricidis. De cætero punitorum corpora potentibus ad
sepulturam non difficulter concedebantur, sic enim Do-
mitius Ulpianus, quem Modestinus nobilissimum & Ju-
risconsultorum coryphaeum appellat, L. I. ff. de cadaveri-
bus punitorum , *Corpora*, inquit, eorum, qui capite dam-
nantur , cognatis ipsorum neganda non sunt , & id se obser-
vasse etiam D. Augustus lib. X. de vita sua scribit. Et L. ult.
ibid. Paulus (Ictus autoritate quidem Ulpiano par, libro-
rum verò multitudine superior. Val. Forsterus Hist. Jur.
Civ. lib. II. c. 78.) *Corpora animadversorum quibuslibet pe-*
tentibus ad sepulturam danda esse scribit. L. XI. Cod. Dio-
cletianus & Maximianus Impp. Gaudentio in hæc verba
rescribunt; *Obnoxios criminum digno suppicio subjetos sepul-*
ture tradi non vetamus. Certè Cicero Verri propri loco ob-
jicit , quod *sepulturam punitorum denegare aut divendere*
fuerit solitus. Concedebantur igitur facile puniti , ni-
si in gravioribus delictis, ubi opus erat exemplo, unde jam
laudatus Ulpianus loc. cit. *nonnunquam*, inquit, *non per-*
mittitur, maximè majestatis causâ damnatorum ut scil. eo-
rum corpora sepeliantur. Hinc etiamnum secundum
communem consuetudinem Germaniæ Sceleratorum ca-
davera vel palis suffixa vel rotis imposita aut patibulo su-
spensa relinquuntur, ut horrendo hoc & deformi specta-
culo alij metuere discant, & à talibus facinoribus deterre-
antur & ita unius facinerosi suppicio multorum impro-
bitas coercentur. In primis aggressores publicarum via-
rum suspensi in patibulis relinquuntur, ut cæteris sint ex-
emplo juxta L. Capitalium 28. §. Famosos 15. ubi Callistra-
tus



*Apud Gra-
cos.*

tus dicit; *Famosos Latrones in his locis, ubi grassati sunt, furcā
figendos quām pluribus placuit, ut ē conspectu deterreantur
alijs ab ijsdem facinoribus.* Denique *Fulguritos* sive qui ful-
mine iecti, omni omnino sepulturā caruisse apud Roma-
nos vult *Adrianus Turnebus lib. XVI. cap. 22.* ex lege *Cascā
Numæ pompilii*, quam recitat Festus in voce *Occisum*, sed
legem Numæ non recte intellexisse Turnebum, humatos-
que fuisse *χεραυνοτληνας*, sine tamen ullis justis, & funerum
solemnitatibus, & quidem eo ipso in loco ubi fulmine
tacti, nisi fortè in loco publico vid. in templo, theatro,
circo &c. fulmine occupati fuissent, tum enim aliò trans-
latos fuisse, ostendit ante laudatus *Kirchmann. de Funer.
Rom. lib. I. cap. 3.* A Romanis transimus ad Græcos, a-
pud quos divina Philosophiæ Syren, (Platonem cum Nau-
dæo intelligo) sanxit libr. IX. de Legibus; *Ut qui sibi ami-
cissimum i.e. seipsum vitæ privarit, non judicio civitatis, nec
tristi, vel inevitabili fortuna casu coactus, nec pudore aliquo
extremo compulsus, sed ignavia & formidolosi animi imbecilli-
tate, injustè sibi mortem conciverit; sepulturam habeat soli-
tariā, ubi alius nemo condatur,* Deinde ut in his locis condatur
*qua de duodecim regionis partib⁹, ultima, deserta, innominataq;
sint: sic obscurus, ut neq; statua, nec inscripto nomine sepulchra
notentur.* Unde & Aristoteles dignus Præceptore suo disci-
pulus; mulcta cū civitas inquit, & ignominia afficit, qui se ipse
exanimavit, ut qui civitate injuria afficiat. *Ethic. Nicom. lib. V.
cap. II. Proditionis cōvictus & sacrilegus*, sive ut cū jā dicto
Platone loquar, *Dialog. IX. de Leg. in princip.* qui nefariā
cupiditate & die tractus & nocte excitus, templa ut fure-
tur, petit, ut insepulti projiciantur, communi lege sanc-
tum esse apud Græcos author est *Diodorus Siculus lib. XVI.
Bibl. De lege Atheniensium in sacrilegos & proditores*
(quā in Atticā terra sepeliri prohibebantur) fidem nobis
facit



facit Xenophon lib. I. ἐλληνῶν, Arcades etiam Aristocra-
tem proditorem lapidibus obrutum extra fines suos ἀπο-
Φοι abjecisse tradit Pausanias in Messenicis. Apud Aegy- *Apud Aegyptios.*
ptios quoque servatum, hunc morem, ut dentur ἑλωέρα γύπτιος.
κυνέστιν οἰωνοῖς τε πᾶσι, canibus laniena atque avibus cun-
ctis corpora suspensorum, colligi haud obscurè potest ex
vaticinio Josephi Gen. XL. v. 19. Rex suspendet te, Pistorum
magistrum alloquitur, *in ligno & volucres comedent carnem tuam.* Ex quibus colligimus, inquit Rivetus in Comm.
ad hunc loc. antiquum fuisse morem, & ex jure gentium
derivatum, ut malefici poenis capitalibus plecterentur,
& cadavera suppicio affectorum exponeretur insepulta,
avibus aut faris lanianda. Apud eosdem, cadavera de-
bitorum Creditoribus in pignora dabantur & ab illis inse-
pulta definebantur, donec hæredes æs alienum integrè
soverent, ut refert autor de moribus Gentium. Quod
tanquam inhumanum & crudelitati proximum vetant le-
ges. Hinc Didacus Covarruvias Variarum Resolut. Tom.
II. fol. III. n. 10. Illud creberrimo omnium consensu ex-
peditum est, non esse impediendam sepulturam,
nec denegandam debitoris cadaveri, sive is pauper
sive dives sit. Conferatur Schneidewin. lib. IV. de Inter-
dictis §. summa a. divisio Tit. XV. Septentrionales populos *Apud Se-*
eandem ἀποφίας poenam statuisse in Tyrannos & horrendo ptentrio-
quodam facinore notatos clarum est ex *Saxone Grammati-* *nates po-*
co, qui lib. IV. Historia sua narrat; Fengonis Tyranni cada- *pulos.*
ver nec urnâ nec tumulo dignum judicasse Amletum, sed
ut crines in auras dispergerentur iussisse. Existimabant
enim ejus cineres, qui patriam libertate nudaverit, à pa-
triâ tegi non convenire. Apud Hebræos sepultura pro-
hibebantur ἀντόχειας, quod *Josephus* (quem Græcum Li- *Apud He-*
vium appellat S. Hieronymus.) nos docet, lib. III. de Bet-

D

lo Jus

lo Judaico cap. 25. Quo referri possunt verba Egesippi lib.
III. de Excidio Hierosolymitano cap. 17. Hæc non solum moribus hominum, sed etiam legibus interdicta accipimus. Namq; alij insepultos projici jubent eos, qui se in ferrum dejecerunt. Dignum est enim, ut qui Patris imperium non expectaverunt, priventur quasi quodam matris gremio, terræ sepulchro. Alij dextram manum abscindunt defunctis, ut separant à membris sui corporis, quod adversus corpus suum vesano militavit furore. Hæc ille. Jacobus Pontanus Progymn. Lat. lib. IV. in annotat. pro gymn. 63. utrumque conjungit inquiens; *Apud Hebreos qui semet interemissa, amputata dextra inhumati projiciebantur.* Confer Liliu Gyraldum de vario sepeliendi ritu, qui eadem verba Egesippi adducit. Tali modo animadvertebant in eos, qui spontaneâ morte se educebant ē vita... Nec id mirum, cum in hos aliud supplicium constitui non possit, qui mortem pro supplicio non habent. ut ait Grotius de Jure Bell. & Pac. cap. XIX. n. 5. Nonnulli tamen, inquit hoc ipso loco Grotius, Hebreorum de lege senon interficiendi unam causam excipiunt, si quis videat se deinceps vieturum in probrum ipsius DEI. Et huc referunt, ait paulo post, Sampsonis exemplum, qui in suo corpore veram religionem videbat esse derisui, & Saulis qui gladio incubuit, ne à Dei suisque hostibus illuderetur. Unde & Samsonem giganteum illud robur Israelis, qui se ipsum cum Philisteis populo Dei inimicis ruinâ domus oppresserat, sepulturâ honoratum legimus *Judic. cap. XVI. v. 31.* Et qui Saulum, judæorum regem dicam, an Tyrannum, ne vivus perveniret in manus hostium, in suum ipsius gladium irruentem I. Reg. XXXI. 4. cum honore sepelierant, rectè facti testimonium à Davide retulerunt. II. Reg. c. II. 5.. Absalomus Optimi parentis pessima progenies,

genies, qui ex seipso præter mentem quidem, justo tamen
Dei judicio, longam literam, ut Plautus ait, fecerat, dum
mortem ei machinabatur, cuius beneficio vitam erat ade-
ptus, non dignabatur consueta sepulturā, sed in vastam vo-
raginem detrudebatur, lapidibus insuper cumulatè exag-
geratis, ut tam nefarium parricidij facinus memoriā ac no-
mine loci notaretur. II. Reg. XVIII. Cæterum apud Ju-
dæos ab antiquo quatuor fuerunt suppliciorum genera;
(ipsi vocant מְתַנֵּת mortes) *Lapidatio*, *Combustio*, sive
vivicomburium ut appellat Tertullianus, *Decollatio*, & *Stran-
gulatio*, ut recensentur à Talmud & alijs Rabbinis. Crucifi-
xionem forte inquis, me omittere, sed habeto, Crucem
non fuisse Judæorum supplicium ordinarium. Ita enim
illorum Magistri apud Paulum Fagium ad Deuter. XXI.
22. (ex ejus interpretatione) Non fuit mos in Israel, ut cla-
vi figerentur in pedibus & manibus hominum lapidatorum ac
suspensorum. Nam tradita sunt quatuor genera mortis ju-
dicibus, *Lapidatio*, *Combustio*, *Occisio*, *Strangulatio*. *Occisio*
fit gladio, & est *Lapidatio* durior *Combustione* & *Combustio*
gravior gladio, & gladius durior *Strangulatione*. Non au-
tem invenitur, quod homo clavis figi debeat ad crucem, sed su-
spendendus est blasphemus & idololatra, juxta id, quod dici-
tur, quia maledictus DEi est suspensus. Hæc illi. Idem con-
tra conditorem Annalium Baronium & Justum Lipsium
latè probat Casaubonus Galliæ lumen & columen Anti-
quitatis, Exercit. XVI. num. LXXVII. Suspensionem
quam Carolus Sigonius eodem errore cum crucifixione
confundit, de Republ. Hebræor. lib. VI. cap. 8. ad lapidatio-
nem reducunt Talmudici. Suspensos verò infelici arbori
Lex divina Hebræis lata, ut omnis virtutis, ita & humani-
tatis magistra, eodem die humo mandari jubet Deuteronomio.
XXI. 22. & 23. Quando peccaverit homo, quod morte plecten-

D 2

dum

dum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non
pernoctabit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur.
Juxta quam legem Josue suspendi jussit regem Hai usque
ad vesperam & Solis occasum, cumque occideret sol, præ-
cepit ut deponerent eum. *Josue VIII. 29.* Et cap. X. 27.
Quinque reges Chananæorum ē lignis suspensos ad vespe-
ram ex lignis demitti jussit, ac projici in speluncam illam,
ubi se prius absconderant. Hinc *Josephus Historicus lib. IV.*
cap. 7. tantam judæis ait esse curam sepulturæ,
ut eos etiam qui ad patibulum damnati sunt, ad solis oc-
casum tollant & humo mandent. Ante laudatus *Cassubonus*
Exercit. XVI. num. XCVII. ex Mose Maimonide, (quem
primum inter suos desiisse nugari idem dicit *Exercit. Ead.*
num. LX XVII.) docet, ipsa insuper supplicij instrumenta
cum supplicio affectis sepulta apud Judæos, veluti lignum
super quo fuit aliquis suspensus cum ipso suspendioso, la-
pis cum lapidato, gladius cum occiso, sudarium, sive man-
tile, cum strangulato. Christus humani generis sospita-
tor, innoxius ille agnus in crucem actus est more & sup-
plicio Romano, sed & ante Solis occasum à cruce deposi-
tus & sepulturæ mandatus est petente id Josepho ab Ari-
mathæa civitate Judææ (quæ olim decebatur Ramatha, e-
ratq; Patria Samuelis, ut colligitur ex *I. Reg. cap. 7.*) ut do-
cet dilectus Jesu Discipulus in Evangelio suo cap. XIX. 38.
Et quamvis postulatum Josephi Romanis legibus erat con-
gruum, nihilominus tamen in potestate judicis erat, cen-
seretne corpora damnatorum in exemplum in furca relin-
quenda, an verò ad preces amicorum sepulturæ tradenda.
Unde & ἐδωρήσατο dicitur Marci X V. 45. donavit & ex gra-
tiâ concessit Pilatus corpus Jesu Josepho. Vide *B. Gerhar-*
di Harmon. Evang. Histor. Passion. Christi cap. XIX. Hinc ait
Carolus Siganus de Republ. Hebræorum lib. VI. cap. 8.

Mos



Mos fuit ut crucifixi cognatis ad sepulturam concederentur, quod & in Christo servatum est & in aliis ut tradit Philo in Flaccum. A' ta Phias exempla iudicio Dei constituta habemus in Sacris literis; Domui Jeroboam Deus propter Idolatriam, sepulturam denegavit. III. Reg. XIV. II. Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli, quia Dominus locutus est. Jezebalem uxorem Achabi propter persecutiones, cædes & impietatem canibus dilaniandam objecit IV. Reg. IX. 35. Regem Jojakim ob scelestissima facinora quibus se adstrinxerat extra portas Hierusalem projectum & putrefactum, sepulturâ asini sepultum iri prædictum Jerem. XXII. 19. id quod ipsi evenisse testatur Josephus lib. X. ap̄x̄. cap. 8. De Rege Babylonio dicitur Esaiæ XIV. II. quod deducatur in sepulcrum fastus ejus, strepitus nubliorum ejus. Hoc est, exponente Dn. D. Samuele Glasio Philof. S. Lib. V. tract. I. cap. XII. de Metaph. à subjectis contin. omni honore sepulturæ careat, justaque ipsa, quæ ei, ut potentissimo Regi solvenda erant, velut sepulta jaceant, neque adhibeantur. Evenisse hoc ei ex Dan. V. colligi non obscure potest. Alias his similes comminationes Dei videbimus sequente capite. Restat ut de Christianis dicamus. Hi autem nisi qui rogo concremantur, aut in patibulis appenduntur, sepeliunt omnes; tametsi non omnes solemni ritu ac ceremonia. Canonistæ distinguunt inter Sepulturam honestam seu Ecclesiasticam & ignominiosam seu qualemcunque. Honestam appellant, cui adhibentur ceremoniæ ac ritus pro loci cuiusque consuetudine solemnes. Ignominiosam verò, quæ fit extra locum consuetum, & ubi solennitates ejusmodi omittuntur. Jus Canonicum (quod excoli cœpit Magistro Gratiano Canonistarum parente & progenitore, qui circa an-

Apud
Christia-
nos.

num Christianum 1140. claruit) sepulturam in loco con-
secrato negat in primis *Paganis*, sive Idololatris c. Ecclesiam
& ca. seqq. de consecr. dist. 1. *Hæreticis*, etiam post mortem
damnatis c. sane profertur 2 4. q. 2. c. si quis episc. de hæret.
cle. i. de sepul. pertinacibus puta hæreticis h. e. qui in fun-
damentalibus fidei articulis errant atque errorem suum
pertinaciter defendunt. *Usurariis manifestis*, qui scil. ob hoc
crimen jam à judece per sententiam damnati & in hoc pèc-
ato decedunt c. quia in omnibus de usur. cle. i. &c. quam-
quam de usur. m. 6. *mortem sibi conscientibus* c. placuit 2 3.
quæst. 5. ubi tamen inter ἀντοχειας distinctio adhibenda,
de qua vide B. Gerhar. Loco Theol. VIII. de Morte num.
XXXVII. Excommunicatis C. Sicut de hæret. c. si. de sepult.
Blasphemis, impænitentibus c. statuimus de maled. *Monachis*
proprium habentibus c. super quodam, de statu Monachor.
In torneamentis morientibus c. 1. de torneament. Id quod
de illicitis torneamentorum generibus accipiendum, in-
quit Sigism. Finckelthaus disp. de jure Sepult. th. XIII. quæ
non virtutis sed lucri forte solius gratia instituuntur & ma-
gis temeritatem, quam fortitudinem præ se ferunt. *Raptor-*
ribus non satis facientibus c. 2. de rapt. quibus interdictus
ingressus Ecclesia c. 15. cui de sent. exc. in 6. Et in-
summa, *Sacris est canonibus institutum*, inquit Innocen-
tius ut quibus non communicavimus vivis, non communice-
mus defunctis: *Et careant ecclesiastica sepultura, qui prius*
erant ab ecclesiastica unitate precisi, nec in articulo mortis ec-
clesia reconciliati fuerint. C. sacris, de sepult. Concilium
Braccarense I. de illis qui sibi ipsis manus inferunt, ita sta-
tuit Canone XXXIV. *Itē placuit, ut, qui sibi ipsis aut per ferrū*
aut per venenū aut per precipitiū, aut suspēdiū aut quolibet mo-
ndo violētiā inferunt mortē, nulla pro illis in oblatione cōmemo-
ratio fiat, neq. cū psalmis ad sepulturam eorum cadavera dedu-
cantur.

cantur. Non ergò hos aliosque notoriæ impietatis homines omnimodâ humatione ac funeratione arcebant, sed honorificam illam funeris ad loca consueta, cum campaniarum pulsu, Psalmодiarum concentu alijsque usitatis ceremonijs deductionem illis denegabant, quod adhuc hodie obtinet. Quod si de facto in cœmeterio Ecclesiastico sepultus, qui sepeliri prohibitus aut excommunicatus, effodi & ejici jubebatur, si ossa discerni poterant. *C. jam citat. sacris, De sepult.* In Cœmeteria honestis hominibus condita facinerosorum corpora inferri nefas habitum fuisse exemplo docet *Baldericus in Chronico Cameracensi lib. 3. cap. 20.* Beda qui ex vitæ sanctitate morumque gravitate venerabilis cognominatus est, lib. V. histor. cap. 15. de quodam Fabro in desperatione mortuo refert, quod Monachi eum in ultimis Monasterij sui, in quo obierat, locis humarint, nec psalmos pro eo cantare voluerint.

CAPUT IV.

Sepulturæ carentia pro ignominia pœnaque
gravi semper habita, & pro graviori
exhumatio.

Quanquam Poëtarum Principi, Maroni; Facilis ja- Sepultura
ctura sepulchri: Et, cœlo tegitur, qui non habet urnam juxta carentia.
Lucan. lib. 7., Nec damno nec pudore affici possunt mortui, cum
nihil sentiant, ut monent Homerus, Æschylus, Sophocles
Moscio & alij, vide Stob. tit. 126. & Soph. in Ajace., unde
& Zisca dux Hussitarum naturæ debitum soluturus edixit,
ut cutis sibi post mortem detracta in tympani usum conce-
deret. *Æn. Sylv. lib. III. Comment. de rebus gestis Alphonsi*
Reg., Neque ad salutem quicquam prodest, utrum sepulti
an in-

an inhumati mortui jaceant, nec aliquid nocet fidelibus,
negata eorum corporibus sepultura, *Augustin. lib. de cura
suscipienda pro mortuis* Custodit enim Deus omnia ossa pio-
rum Psal. XXXIV. 20. Tamen uti sepultura honesta in-
primis, beneficij, præmij ac honoris, ita contradenegatio
ejusdem ignominiæ & pœnæ loco semper est habita. Eos-
que miseros judicerunt plerique & infelices quorum ca-
davera insepulta jacerent, quibusq; hic supremus humanæ
conditionis honos deesset. Sanè *Aristoteles Rhetor. lib. I.
cap. 5.* Sepulturam inter honoris species refert, inquiens
μέρη δὲ τιμῆς Τρόποι, εἰδότες &c. Partes verò honoris sunt se-
pulchra, statuæ. Sepulturæ verò carentia apud Virgilium
malum appellatur lib. V I. *Æneid.*

Eripe me his, invicte, *matis*, & tu mihi terram.
Injice.

Imper. Vespasianus Sepulturæ privationem in gravium
pœnarum numerum retulisse videtur, dum in augmen-
tū pœnæ Conjuratorū addendū censuit, ut insepulti projice-
rentur, ut supra ex *Suetonio in ejus vita cap. 2.* retulimus. Gra-
ve judicatū est, ait *Olympiodorus in Cat. Job. c. 15.* animadver-
sionis genus sepulturæ spoliari honore, & inhumatū jacere.
In atrocitate pœnarum illud est, inquit *Petrus Gregorius
Tholosanus Syntag. Juris Universi Lib. XXXII. cap. 29. n. 1.*
non sepeliri, sed vel avibus laniandos exponi vel membra
alicubi in terrorem malefactorum suspendi: quia non
sepeliri pœna per se. Unde & *Melchior Junius Question.
politicar. quest. CIX.* In jure præterea pœnæ gravissimæ loco
habetur, inquit, non permitti ut corpora sepeliantur. Re-
fert *Barthius autor antiquitatis optimus Lib. XXXV. Ad-
vers. cap. V.* Maximam pœnam fuisse mancipiorum abji-
ci insepulta. Nec pœnæ saltem loco, sed etiam ignomini-
osum valde habebatur apud priscos gentiles nudum jacere
cadaver.

cadaver. Deprecatur hanc ignominiam Archytas Tarentinus Philosophus apud Horatium lib. I. Carminum Oda XXVIII. ubi orat nautam, ne se naufragum insepultum, jacere patiatur, sed aliquantulum arenæ corpori injiciat:

*Quanquam festinas, inquit (non est mora longa,) licebit
Injecto ter pulvere curras.*

Respicit Venusinus Vates ad legem Atticam, quæ jubebat, ut si quis in insepultum hominis cadaver incideret, saltem ei terram injiceret. Aelian. libr. V. Variar. hist. cap. 14. Sensus legis erat; ut si quis in cadaver aliquod inhumatum in via sibi fortuitò, ut sit interdum, objectum, incideret, & totum terrâ obruere per temporis angustiam non posset, tantum plenâ manu terjecta terra aliqualem saltem sepulturam faceret. Ulysses apud Euripidem in Hecuba mavult in vita re esse tenui, quam honoratâ carere sepultura. Barth. Lib. II. Advers. cap. 7. Olympiadem, prodit historia, cum inaudisset, filium Alexandrum Magnum (area cui totus parvula mundus erat) diutius sepulturæ honoribus exutum jacere, graviter indoluisse; O Fili, tu quidem cœlum tibi vendicare satagebas; at nunc, quæ cæteris ex æquo communia omnibus, censentur, ne iis quidem potiri potes, terrâ & conditorio. Aelian. lib: XIII. cap. 30. C. Rhodig. lib. XI. cap. 81. Eandem infelicitatem deplorat C. Vellejus Paterculus in Pompejo Magno Principe, ut ipsum vocat, Romanii nominis lib: II. Histor: cap. LIII. Hic (de jugulatione ejus loquitur) post tres consulatus & totidem triumphos, domitumq; terrarum orbem, sanctissimi ac præstantissimi viri, in id evesti, super quod ascendî non potest, duodecagesimum annum agentis, pridie natalem ipsius, vitæ fuit exitus: in tantum in illo viro à se DISCORDANTE fortunâ, ut cui modò ad victoriam terra defuerat, decesset ad sepulturam. Hanc ignominiam ut à Parente suo averteret Cimon, vincula subibat, quibus ille ligatus erat,

E.

Cimon

Cimon, inquam, Atheniensis, cum pater ejus Miltiades lité
æstimatam populo solvere non potuisset, ob eamq; causā
damnatus in vinculis publicis decessisset, nec per leges li-
ceret funus efferre, nisi pensitata pecunia: & ille non esset
solvendo, translatis in se vinculis, patrem ad sepulturam
redemit. Hinc egregia illa laus Cimonis apud Valerium.
Maximum lib. V. cap. 4. Nec te quidem Cimon silentio in-
volvam, qui patri tuo sepulturam voluntariis vinculis e-
mere non dubitasti. Apud iudeos insepultum abjici aut re-
linqui pro summa habebatur ignominia & infelicitate.
Et inter pœnas Jesabeli comminatas atrox: *Non erit qui se-
peliat eam*. *IV. Reg. IX. 10.* Apud Ecclesiastem *cap. VI. 3.* *E*
sepultura non est ei, dixi, melior est eo abortivus. melior. i. e.
felicior. Non enim pars minima infelicitatis erat sepultura
carere, ut annotat ad hunc loc. *Drusius in Præteritis Lib. X.*
ad Apocal. cap. XI. v. 9. Notæ sunt graves illæ comminatio-
nes Dei, apud Jeremiam; *Non colligentur & non sepeliens*
tur, in sterquilinum superfaciem terræ erunt. Jerem. VIII. 2.
& Ezechiem, *super faciem terræ cades, non colligeris, neq;*
congregaberis; bestiis terræ & volatilibus cœli dedit te ad devo-
randum Ezech. XXIX. 5. Apud Jeremiam minatus est DEus
Joacimo sepulturam asini Jerem. XXII. 19. quod dignior es-
set consortio bestiarum, quam hominum, qui ab illis eti-
am post mortem humatione separantur. Hinc adagium *Se-*
pulturâ asini sepelictur hoc est àndas sive sine sepultura re-
linquetur. Est autem Sepultura asini, quam juxta Cicero-
nem dicas insepultam sepulturam, juxta Græcos, *άνθρωπον*
σόδιδος aliquis & apertus locus, qui negat tegat cadave-
ris horribilem & obscenam speciem, negat canes aut volucres à
laceratione prohibeat. ut exponit Sanctius in lib. IV. Reg. cap.
XXIV. quod ipsum explicat etiam Jeremias cap. XXXVI.
30. *Cadaver ejus projicitur ad astum per diem & ad gelu per*
noctem. Maledictionis divinæ signum fuisse dicit *Calvi-*
nus Comm.

nus Comm. in lib. I. Samuel. cap. XXXI. corporum illam ab-
jectionem, non verò semper regulam istam locum obti-
nere, nempe ut sepultura sit favoris DEi signum, contrà ve-
rò insepultū jacerem maledictionis testimoniu. Id quod pro-
bat exemplo divitis epulonis, qui cum honore sepultus di-
citur & Lazari, de cuius sepultura nulla fit mentio, ut sine
honore corpus ipsius abjectum videatur. In quem sensum
Augustinus lib. I. de Civit. Dei cap. 12. & lib. de cura mort.
C. 2. Praeclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpu-
rato illi diviti turbafamulorum, sed multò clariores in conspe-
ctu Domini ulcroso illi pauperi ministerium exhibuit Angelo-
rum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum,
sed in Abrahe gremium sustulerunt. Dicitur quidem
Psalm. LXXIX. 2. Posuerunt cadavera servorum
tuorum escam volatilibus cœli, carnem sanctorum tuorum
bestiis terra & vers. 3. effuderunt sanguinem eorum, tanquam
aquam & non erat, qui sepeliret. Sed hæc magis ad exag-
randam crudelitatem istorum, quia ea fecerunt, quam ad
eorum infelicitatem, qui ista perpessi sunt, dicuntur, ut
observat B. Gerhardus Loc. Theol. VIII. de Morte n. 83. Hanc
crudelitatem perpessa sunt antiquitus martyrum & piorū
Christi confessorum corpora. Quod cum ægrè admodum
ferrent Christiani reliqui, martyrum scil. corpora feris a-
vibusq; exponi, etiam capitis periculo noctu solebant sur-
ripere, si quando minus accurate custodirentur. Vide Mar-
cum Velsorum Commentario ad passionem S. Afræ & sociarum.
In quam sævitiam maximè invehitur Lactantius lib. V. In-
stitut. cap. II. In cineres furiunt, inquit, ne quis extet sepul-
ture locus. Quasi verò id affectent, qui Deum confitentur, ut
ad eorum sepulcra veniatur, ac non ut ipsi ad Deum perveni-
ant. Quanam illa feritas, qua rabies, qua insania est, lucem
vivis, terram mortuis denegare? Cæterum uti in ignomi-
niā & poenam sæpè sepulturā prohibebantur mortui, i-

ta con-



Exhumatio.

ta contrâ solebant interdum propter atrocia facinora vivi in terram defodi. Sic olim Virgines Vestales incestum committentes in campo scelerato vivas apud Romanos sepultas fuisse, legimus apud Plutarchum in Num. Pomp. Et ex Constit. Crim. Caroli art. 131. eidem poenæ subjiciendi sunt infanticidæ. Exhumari verò, nescio annon intollerabilius dedecus, quam inhumatum relinquī? Poena gravissima, inquit supra citatus *Tholosanus Syntagm. Jur. Univ. lib. XXXIII. cap. 23. n. 3* 2. habita sacrilegij & proditionis in Attica, non sepeliri ex lege apud Xenophontem lib. I. ελλην. Cujus & meminit Æmilius Probus in Themistij vita. Et pro poena atrociori eruere ex sepulchro ossa. Exhumationis exemplum habemus in Sacris & quidem in Historia Regum, ubi Josias Religiosissimus Deoque charissimus Rex facinerosorum sacerdotum ossa, sepulchris refossa flammis perdidit *IV. Reg. XXIII. 16.* In historiis profanis de Sylla Dictatore dicitur, quod Caii Martii ossa eruta in fluvium mergi jussérunt, moriens se cremari voluerit, veritus talionem, ludibrium ab hoste cadaver ejus pateretur. Vide Plinium Nat. Hist. libro VII. cap. 54. Non possum silentio premere tyrannidē papalē, quā reliquas eorū, qui à Romanā Synagogā exierūt, vel sepulcris inferri prohibēt, vel illata ex ijsdē erui & igne absumi vel in carnificinis, colluviariis aliisq; infamibus locis sepeliri curant. Sic Cardinalis Polus (Poli hostis & oppugnator) cadavera Martini Buceri & Pauli Fagij Cantabrigiæ de sepulchris effodi & publicè cremari jussit, ut ex historia Buceri & Fagij à Balæo descripta constat. Idem Polus Petri Martyris uxoris corpus Oxoniæ sepultum erui & in sterquilinium abjici jussit. *Jos. Simler. Orat. de vita & obitu P. Martyris.* Sed;


*Nihil agis hac ira, tabes nec cadavera solvat,
Aut rogas, haud refert, placido Natura receptat
Guncta finis.* *Lucan. 7.*

ULB Halle
002 684 632



3

VS 17



Farbkarte #13

B.I.G.

Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue											
19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	0

Centimetres
Inches

ULTURA VETERUM.

sive

TIQVIS RITIBUS SE-
PULCHRALIBUS,
orum, Græcorum,
um & Christianorum,
TATIO SECUNDA.

D. O. M. A.

Præside

ANDR. QVENSTEDT.
FACULT. PHILOSOPH.
ADJUNCTO,

blicæ disqvisitioni submittit
ANNES Kienscherff/

Spandoâ - March.
Ad diem Aprilis
uditorio Philosophorum,
horis matutinis.

•g[+]•

WITTE BERGÆ,
ographicâ JO HANNIS HAKEN.
ANNO M.DC.XLIX.